

celerius lexicon haberemus arabicum, plenū omnibus numeris radicū & significationibus earundē. Tum demūm homines in belgio accensū sibi lumē viderent, brevissimis perveniendi ad linguas orientales, si manuale lexicō habere possent. Sed hæctenus satis de primo, quidnā materiæ, & quosnam autores lexicon hoc sit exhibiturum.

CAPVT SECVNDVM.

Sequitur nunc quo ordine, quâque via conscribere hoc lexicon nobis, bono & inspirante Deo, proposuerimus, cui hoc, quicquid profero, humilima creatura acceptum refero. *Ordo.* Perpectis itaque singulis aliis præcedentibus lexicis ordo mihi eorundem ad eò confusus, adeò incertus, varius, mutatus, nunquam unis apparuit, apparebitque talis unicuique vel obiter inspicienti, linguæque conscio, ut mirari possit, potuisse tantos viros in methodo ordineve & constitutione radicū tam pueriliter hallucinari. Quod itaque oratione mea primâ panegyrica orientalibus linguis dictâ singulariter indicavi, nos naturaliter scire linguam arabicam, quod ipsum reidentibus ad invicem auditoribus, & qui capere tantum paradoxum non poterant, in medio orationis cursu probare non potui, sed ad discipulos meos provocavi, quibus id jam tum privatim demonstraram, ut viderent id apertè, at negaret nemo, id ipsum hic nunc paullo latius manifestiusque delineabo, ne me mendacem & vana promittentem credant, qui istam jam publicè profertantem legerint, daboque sic ista, quemadmodum ante sex annos, cum primum leidæ privatim arabicam docerem grammaticam, meis tum condiscipulis, discipulisque id communicavi. Facilitatem autem linguæ ex hoc invento maximopere dependere in me ipso, omnibusque demum discipulis expertus sum, ac in dies singulos experior. Tota autē res ita se habet. Plurimi omninò autores in constituendis radicibus operosè occupati sunt, & nihil non egisse videntur in ebraicis, chaldaicis, syriacisque, & tandē arabicis, quò pro diversis, uti putarunt, linguis, diversa lexica reddi debere contenderunt, quod quidem aliquando probabo supervacuum, atque uno generali lexico has quatuor linguas, tandemque æthiopicam, veluti arabicæ æque propinquam & samaritanicam, rabbinicamque tandem comprehendi facillimè posse. Sed illud prætereat, nunc impræsentiarum ostendam methodum perfectissimam, omnibusque numeris absolutam radicū arabicarum, quâ